

VIRO
 PLVRIMVM REVERENDO AMPLISSIMO
 ET PRAECLARISSIMO

M. PETRO
 IAENICHIO

ECCLESIASTAE THORVNENSI
 ET GYMN. RECTORI AC P. P. MERITISS.
 OB ELOCATAM
 VIRO SPECTATISSIMO

DN. DANIELI
 ANDRESS

IUR. PRACT. ET CIVI PER EXIMIO,
 FILIAM CARISSIMAM

REGINAM
 CONSTANTIAM

VIRGINEM OMNIBVS VIRTVTIBVS
 EXCVLTISSIMAM,

DIE NVPTIALI IX. NOVEMBR A. R. S. M. DCC. XXXIV.

OMNI CVM ANIMI OBSERVANTIA ET CVLTA,

NOBILISSIMAE FAMILIAE

AVGMENTA ET ORNAMENTA APPRAECATAE SVNT

MVSAE THORVNENSES.



Impressit loh. Nicolai NOBIL. SENAT. & GYMN. Typographus.

DEscribere alii antiquitates Thorunii,
ne quid ex vetustate recondita
lateret novos homines.

Liceat & nobis antiquis novum decus addere,
quod nulla temporum delebit oblivio,

quod saxi & statuis firmitus,
quod ipso erit ære perennius.

Petra consurgit Civitate media,
satis ardua, amœna, bifida,

Qua rupes finditur,

lympha erumpit sine strepitu,

& jugi fonte auctior,

duobus alveis divisa,

prono lapsu subjecta arva irrigat,

Non opplet sabulo vel inundat.

Mirum dictu! qui flores,

non mortui sed animati rupem vestiant:

quot apes Hymettix circumstrepant,

nectar divinum delibantes,

unde mella stipant, favos replent,

in futurum providæ,

nequid parvis Quiritibus desit hieme.

Ænigmata forsan loquimur,

Sphinge tamen vel Oedipo

qui solvat opus non est.

Suspiciamus Plur. Rev. Ampliss. & Praclarissimum

DN. M. PETRVM. IAENICHIVM,

Ecclesiasten, Rectorem Gymn. ac Prof. Publ, meritiss.

qui gemina facundia

Ecclesiam Thorunensem pascit

& Scholam alit liberaliter:

a cuius ore & oves pendent & agni obediunt:

cujus

cujus e pectore divinæ humanæque scientiæ
latices uberrime propullulant.

Hunc & floribus convestivit Numen,
Filiis videl ac Filiabus moratissimis,
in quibus vivit suamque pingit imaginem,
quibus, ut vicissim viverent,
ipse post Deum dedit.

Quam arduum, petram hancce conscendere!
Nobis Musarum alumni in facili est
aquam haurire ex alveo,
qui omnibus patet,
nemini non se offert.

At qui flores geniales cupiunt decerpere,
his senticera petrumperere, saxa superare,
lapides amoliri, in cacumen montis eniti
non æque est facile.

Ausus tamen est

Spectatissimus Dominus

IO. DANIEL ANDRESS

quod aliis successisse vidit absque invidia,

& Florem Virginalem

REGINAM CONSTANTIAM

Filiam lectissimam

improbo labore petiit.

Qui tamen Sponsus evasit?

qui florem aureum in sublimi positum,
ut Iason vellus aureum reportavit?

Multum quidem profuit vicinia,

ut probi mores ne essent ignoti,

Adjuvit memoria curriculi Scholastici,

ut qui bonus erat discipulus,

gener quoque bonus esset.

Provexit denique prudentia Oeconomica,

quam

quam quia a Matre piissima accepit vel didicit,
spes erat per eandem

rem familiarem sustinere posse.

Habet ergo e petta germinantem flosculum,

qui vitæ molestias
alloqvii, solatii, auxilii fragrantia
mitiget vel abstergat.

Gratulamur merito optimis Parentibus,
bonum reperisse Generum:

Gratulamur SPONSO,
per germen Sacerdotale
feliciter posse crescere:

gratulamur SPONSÆ ornatissimæ,
quod dum a domo paterna
ad novas ædes transit,

liceat tamen in oculis Parentum versari,
a Parentibus ope fovendi & consilio.

Ita DEUS opt. Max.

Parentibus perenne præstet gaudium
ut in Filiis fama magnis meritis parva,
in Filiabus Senectus aliquando conquiescat.

Neosponsis idem
sua dona accumularet,
ut qui DEO omnia accepta ferunt,
a DEO iterum pacem sine tædio,
dies geniales sine nubibus,
sanitatem absque ope Medica,
rem familiarem florentem
damnis & dispendiis vacuam
referant.

os(O)s

Inv. 112840

K. fol. 2 art. 103.